



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 2. Quotuplex sit Bigamia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

CAPVT VIII

De Irregularitate ex bigamia?

DVBIVM I.

Quis dicatur Bigamus, seu Digamus?

57  
Bigamus  
quis.

**R**espondeo: Bigamus proprie dicitur, qui binas nuptias iniit & vobis enim nuptias significat.

Explicatur  
Apostolus,  
de vnio  
vxoꝝis viro

Quod autem hoc sit impedimentum Ordinum, patet ex Apostolo, qui in Episcopo, Presbytero, & Diacono requirit, vt non sint bigami, 1. ad Timoth. 3. & ad Tit. 1. vers. 6. cum ait, Oportere esse vnus vxoris virum, id est, non biganum, vt Patres interpretantur, excepto Theodoro. Quod confirmatur, quia eadem epistola Apostolus iubet, vt eligatur vidua, qua fuerit vnus viri vxor: quod non potest intelligi, quod excludatur solum illa, que simul habuit duos viros, hoc enim nunquam fuit licitum aut vlitatum; sed solum excluditur, qua habuit duos viros successiue: ergo similiter cum ait, Episcopum debere esse vnus vxoris virum, hoc dicit vt excludatur is, qui successiue habuit duas vxores.

Ratio vero, cur bigami censentur irregulares, est, non quod secundum nuptia Sacramento careant, vt heretici calumniantur, sed quia carent quadam Sacramenti significatione. Nam per secundas nuptias non bene significatur vnio Christi cum Ecclesia vnica sua sponsa; cuius tamen personam Clerici gerere debent.

DVBIVM II.

Quotuplex sit Bigamia?

58  
Bigamia  
triplex.  
Vera.

**R**espondeo, Est triplex, iuxta communem Doctorum sententiam, Vera, Interpretatiua, & Similitudinaria. Vera est, cum quis duas vxores legitimas habet, vel habuit, siue ante, siue post baptismum; siue alteram ante, alteram post; & cum vtraque consummavit. Postremum hoc addo, quia ad omnem bigamiam requiritur consummatio per coniunctionem affectu maritali factam. Ratio est: Quia sine consummatione non est facta diuifio carnis.

Interpre-  
tatiua, ea  
que duplex.

Interpretatiua est varia: Primò, cum quis duxit viduam, vel ab alio corruptam, & consummavit. Quod de corrupta dicitur, non recte probatur ex Cap. Si quis viduam, dist. 50. quia ibi tantum dicitur, Si quis viduam vel ab eo relictam duxerit. Itaq; debet alteri fuisse coniuncta. Probatur tamen ex Cap. Qui in aliquo, dist. 51. vbi dicitur, Qui corruptarum mariti fuerint: & Cap. Maritum, dist. 33. Secundò, cum quis cognouit vxorem suam, postquam illa adulterium perpetravit, siue ipse id sciat, siue ignoret.

Hi duo modi admittuntur ab omnibus, suntq; fundati in Iure. Quamuis, si quis bene aduertat, Canon in secundo requirit vt constet vxorem adulterium perpetrasse. Vide Cap. Si cuius, & seq. 34. dist. Imò videtur adulterium debere esse euidenter probatū, vel certe notorium. Sed addunt plerique duos alios. Prior est, cum quis contrahit cum duabus simul viuētibus, etsi cū vtraque, vel cum altera tantum inualidè, & consummavit.

Alter modus est, quando contrahit cum duabus successiue, id est, mortua priore cum secunda, quamuis inualidè cum altera, vel cum vtraque. Ita Nauar. n. 195. & Couar. 1. p. §. 2. in Clemet. Si furiosus. Verum hi duo vltimi modi nō possunt probari ex Iure. Nam Cap. Nuper, de Bigamis, quod adferunt, loquitur de clerico, qui mortua vxore in sacris ordinatus, secundam duxit, etsi inualidè. Capitulum Presbyterum, 28. dist. est obscurū, & solum loquitur de Presbytero qui nuptijs non legalibus iungitur. Vnde probabile est duos istos modos non inducere irregularitatem. Ita Henriches lib. 2. de Matrimonio, cap. 6.

Similitudinaria bigamia est varia. Primò, si Professus religionis approbatæ, vel insignitus Ordine sacro: matrimonium contrahat cum aliqua, quāuis virgine, & consummet affectu maritali: Sed neutrum habetur in Iure expressum. Secundus modus, si Clericus, vel etiam Laicus contrahat cum Moniali professa. Verum neq; hoc in Iure reperitur.

59  
Similitu-  
dinaria,  
cague qua-  
druplex.

Tertius ergo modus sit, Si clericus Ordinis sacri contrahat cum aliqua vidua, & affectu maritali consummet: hic enim, etsi non fiat verè bigamus, cum matrimonium sit irritum, tamen incurrit pœnam bigamoru, scilicet irregularitatem, vt habetur Capit. vltimo, de Bigamis: diciturq; per similitudinem bigamus. Secus verò, si Laicus vel Clericus Minorum ordinum contrahat cum vidua, propter aliquod impedimentum inualidè: hic enim nō fiet irregularis, vt recte notauit Nauar. nu. 191. Quia hoc Iure non est expressum.

Quartus modus, Si mortua priore vxore iniiteris sacris, & postea rursus contrahas, quamuis inualidè, incurris pœnam bigamiæ, id est, irregularitatem, quamuis verè bigamus non sis. Habetur expressè Capitulo Nuper de Bigamis. Alij modi nō inueniuntur huius similitudinariæ bigamiæ. Vnde patet eam tantummodò incurri à Clerico in sacris constituto, qui contrahit & consummat cum vidua; vel qui contrahit & consummat cum virgine, & ante Ordines sacros iunctus fuit matrimonio.

Ex dictis sequitur, non esse irregularem ex hoc capite, qui vnā duxit, & cum alijs adulteratur, quia non censentur duo matrimonia. Similiter nec qui ductam ab alio ducit, & cognoscit; quia hæc censetur virgo.

DVBIVM III.

Quomodo auferatur hæc Irregularitas?

**R**espondeo & Dico Primò: Non auferitur per baptismum. Docet D. Augustinus lib. De bono coniugali cap. 18. & Innocentius I. epist. ad Decentium: habetur Capit. Acutus, 9. d. 26. Hos sequuntur ferè omnes Doctores Scholastici, d. 27. in. 4. exceptis paucis; scilicet Henrico, Maiore, & Almaino. Item Doctores Canonistæ in Capitulum Gaudemus, de Diuortijs. Contrarium tenuit Hieronymus epist. ad Oceanum, & in Commentarijs ad epistolam ad Titum 1. vbi docet, non effici irregularem eum, qui alteram ante baptismum habuit, altera post. Hunc sequuntur tres illi Scholastici, & quidam alij.

60  
Augusti-  
nus cenfer  
non aufer-  
ri per Bap-  
tismaum.

Contra-  
rium tenet  
D. Hiero-  
nymus.

Verum sententia S. Augustini est melior & probabilior. Nam, præterquam quod sit lōgè plurius Auctorum, est etiam sententiā Innocentij I.

R b b b i i i j      c o m p r o -